



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Illvstrivm Miracvlorvm Et Historiarvm Memorabilivm Lib. XII

Caesarius <Heisterbacensis>

Antverpiae, 1605

Quam graue peccatum sit vsura, cap. 8

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13177**

hi aliquid habere significationis, quòd in vacca inquieta pœnam suam miles recepit; vsurarius verò in sede, quæ signum est quietis & stabilitatis. CÆSARIVS: Deus secundùm qualitatem & modum peccati, ipsum punit peccatum. Miles iste, quia vaccam rapuit, in vacca peccatum luit. Hęc de qualitate. Vacca propter pascua per diuersa prata discurret, & assidua præcisione recrescentia gramina depascit. Vacca, ipsa sua inquietudine & depastione, nobiles & aduocatos temporis nostri designat, qui domos & agros subditorum hospitando depascunt, & per assiduas exactiones, quas in illos faciunt, in substantia recrescere non sinunt. Isti prædonibus in pœnis similabuntur, & sicut modò alios agitant, ita ipsi cum prædicto milite exagitabuntur. hæc de modo dicta sint. Usurarius verò, quia domi quietè residens, pecuniam suam ad vsuram dedit, in inferno sedem igneam recepit. Bene autem eadem sedes ignea fuit, quia sicut ignis stipulam, ita vsura pauperum deuorat substantiam.

## CAPVT VIII:

## APOLLONIVS:

**V**IDETVR mihi vsura peccatum esse multum graue, & ad emendandum difficile. CÆSARIVS: Iustè moueris. Non est aliquod peccatum, quod non quandoque quiescat, vsura verò nunquam à peccato cessat; dormiēte domino suo, ipsa non dormit, sed semper crescit & ascendit. Difficilis est ad emendandum, quia Deus non dimittit reatum, nisi restituatur ablatum, fornicator, adulter, homicida, perjurus, blasphemus, mox vt de peccatis suis contemuntur, indulgentiam à Deo consequuntur; vsurarius verò, licet de peccatis suis doleat, tamen quamdiu vsuram tenet, cum possit restituere, nihil consequitur indulgentiæ. APOLLONIVS: Quid si iam vsuram consumpsit, vel liberis distribuit, nil habes præter possessiones iustas? CÆSARIVS: Illas debet vendere & rapinam reddere. APOLLONIVS: Quia Episcopi, qui sunt ecclesiarum Prælati & speculatores, vsurariis communicant, & ad sepulturam Christianam recipiunt,

E

idcirco

idcirco multi sunt hodie. CÆSARIUS: Si solummode vitia sibi commissorum dissimularent, & non eis similia facerent, tolerabile esset. Quidam Episcoporum tam graues in plebem sibi subiectam hodie faciunt  
*Iere. 24.* exactiones, sicut personæ sæculares. Isti sunt ficus malæ, malæ valde: valde timendum est talibus, ne sibi cathedras præparent iuxta sedem vsurarij in inferno, quia vsura & exactiones violentæ nihil aliud sunt, quàm rapinæ. APOLLONIUS: Quomodo valere possent membra, vbi tam infirma sunt capita? CÆSARIUS: Occasione huius sedis recordor cuiusdam parabolæ, a quodam Episcopo dictæ.

## CAPVT IX.

**I**N Wormatia ante paucos annos quidam Episcopus fuit, nomine Lupoldus, solo quidem nomine Episcopus, opere autem tyrannus. Hic cum esset vanissimus, nihil in se habens pietatis, nil religiositatis, dicebat ei quodam tempore germanus suus vir nobilis: Domine Episcope, multum scandalisatis nos laicos vestro exemplo: antequam essetis Episcopus, aliquid Deum timebatis, modò nil prorsus de illo curatis. Cui ille respondit: Frater, duo vicini erant, ex quibus vnus exemplo alterius peccauit, mortui sunt ambo, & deducti in infernum: cum essent in tormentis, vnus alteri dicebat: Væ tibi, quia tuo exemplo prouocatus ad peccatum, merui hunc locum: cui alter; Bone vicine, si placet tibi ampliùs sedes mea, trade mihi illam, & ego tibi meam. Sic dico vobis frater, quando venerimus ad inferos, si videbitur vobis sedes mea honorabilior, ascendite eam, & recipiam vestram. Respondit ille: Mala cõsolatio hæc. Iste Lupoldus ita diabolicus erat, vt tempore schismatis, quod erat inter duos Reges, Ottonem scilicet & Philippum, cum sibi vsurpasset Episcopatum Maguntinensem eiusdem Philippi auctoritate, & multis interesset bellis, non parceret ecclesijs, non cæmeterijs. Et cum milites sui ei dicerent: Domine, non licet nobis spoliare cæmeteria, respondit: Si ossa mortuorum tollitis, tunc primùm cæmeteria spoliatis. Qui cum esset priuatus ab officio & beneficio ab Innocentio  
 Papa,